



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XLIX. Iniquas hominum de monstribus & monstrosis querelas compesci  
ex eo, quòd monstra & monstrosi sint Dei opus, & eoru[m] irrisores  
diuinitas punia[n]tur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

ac Philosophis aliud nihil voluit reijcere, quam hæc monstra prout à Poëtis describuntur, duas naturas, videlicet humanam & equinam, simul complectentia, quarum vna scæno, altera vino gauderet: neque opus duplici ventre, & stomacho, aut quadruplici pede, cum, vt supra ex Eliano docuimus, Onocentauri manibus loco pedum nitantur, quando celerandum est. In hanc sententiam etiam scribit Franciscus Ferdinandus de Cordoua. Qui post Delrium, hæc pleraque copiosius disputauit. Verùm his affatim probatum est, gigni monstra; nunc curæ vel à natura gignantur, vel ab authore naturæ gigni sinantur inquiremus.

Franc. Ferd.  
de Cord. in  
Didascal.  
Multiplici.  
c. 8. Delrius  
Comment.  
in Herculem  
Oeteum So-  
neccæ.

CAPVT XLIX.

*Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas com-  
pesci ex eo, quòd monstra & monstrosi sint Dei opus,  
& eorum irrisores diuinitus puniantur.*



Vplex iniuria est, si quis inde contumeliã patitur, vnde laudari merebatur. Quare & illi gemina poena digni sunt, qui Deum in operibus suis non solùm laude nulla afficiunt, sed etiam murmurando blasphemant. Hanc ob causam, meritò illis, qui denario diurno non contenti murmurauerunt, iratus paterfamilias dixit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnusquisq; ob proprium suum peccatum damnatur*, ait S. Basilius, *ita & qui murmurauerint, ob murmurationem. Verùm sæpe alij alia de causa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quòd vnde ventrem suum distendant, non habent (vt qui gula præter modum dediti sunt. & ventrem faciunt Deum suum) illi verò, quòd in pari honore habeantur cum nonisimis, in quo apertè indicant suam inuidiam, quòd vitium multis in locis solet scriptura coniungere homicidio. Alij præterea alia de causa. Qualis causa est, si parètib; nõ conceditur, quòd optant; imò si datur, quòd horrent, pro pũchra prole deforme monstrũ. Nam eiusmodi monstrosũ partũ, in alijs rebus, vt plantis, & bestijs miramur, miseramur in hominibus; neque satis sibi suam infelicitatẽ deplo-  
plorare*

I.

Matth. 10. 15.  
S. Basl. in  
reg. breu.  
q. 63.

2, Reg. 21. 20.

plorare posse videntur parentes, si sobolem nacti sunt, non iam caprinis pedibus, more Satyrorum; aut *Semivirumq; bo- uem, semibonemq; virum*; sed vel brachio carentem, vel nati- bus destitutum, vel aure truncatum, vel plures digitos in ma- nibus singulis habentem: qualis in *Geth vir fuit excelsus, qui se- nos in manibus pedibusq; habebat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine Arapha*. Quin immò, si vel de materna imagi- natione, purpuream in fronte notata, aut in genis nigram ma- culam frago, moro, aut pruno flagrantius appetito similem gerat, quanta est sollicitudo corrigendi? quantæ, contra Na- turæ errorem, immò contra ipsum Naturæ authorem querelæ existunt? quasi Deus ad illorum imperium, non ad suæ sapi- entia voluntatem fœtum in vtero fingere debuisset. Mallem, inquit, nullum filium habuisse, quàm non integrum; mal- lem filia caruisse, quàm quæ visu, auditu, aut linguæ vfu ce- reret. Quis ducet cæcâ, nisi puer baculo trahens viarum mon- stratore? quis surdam non dicet absurdam? quis elinguem nò comparabit cum milite, qui non habet ensẽm? aut cum bar- bico, quod caret plectro? Quot liberi in lucem prodeunt, in- star Mide, auriti; aut manibus vncis, ad modum Harpyiarum; aut cute pilosa, tanquam Simij, aut Panisci; quæ non lamento funduntur? quanto pudore erubescunt parentes, cognati, affines? quid non excogitant amici, ad occulendum, in per- petuos carceres includendum, vel sæpe etiam omninò è medio tollendum tam informem partum? Nota est cistella viminea Mineræ, quæ Erisichthonem clausit. Multò autem impa- tientius illi ipsi ferunt suam monstrositatem, qui sic nati eam cognoscunt. Si enim quædam puellæ, ob ruffum capillitium, quædam ob luscum oculum, quædam, quòd sint nec mini- mo naso,

Ouid. lib. 2.  
Metamorph.Catull. epigr.  
64.*Nec bello pede, nec nigris ocellis,**Nec longis digitis, nec ore sicco,**Nec sane nimis elegante lingua,*

Naturam & Naturæ Dominum identidem accusant, quid fa- cient, si barba mentum vestiat, non in munimen virginitatis, sed in coniugij impedimentum? Si dentem os exerat aprinum?

Sf

Si effigiem bufonis in fronte sedentem circumferat? si strumâ effundat vsque ad vmbilicum? Nam dentem aureum in ore enatû, vt nostra ætate factum est, faciliùs quis tolerarit. Philippus Macedo, Annibal Carthaginensis, Sertorius Hispanus, ac Zisca Bohemus vnoculos se fuisse, vehementer doluerunt, tamen non à natura, vt Arimaspi, sed ab euentu tales essent. Ita & alij dolent, qui sibi à natura nouerca cum causâ deformitatis, causam quoque doloris datam fuisse arbitrantur, & querelarum.

His in remedium sciendum est, etsi monstrum, quia teste Aristotele, *dis simile quiddam est, & obliquum ac la sum*, sit vitium naturæ, ob aliquod impedimentû, à sine suo, deficientis; atque adeò licet causâ impedita per se nõ tendat in monstrû, tamen ratione Dei, qui rerum omnium euentus & prouidentia sua præuenit, & sapientia disponit, nulla monstra fortuitò aut casu euenire. Tametsi igitur, cum illa generantur, causâ impedita & particularis dicatur à suo scopo deflectere, (cupit enim bos vitulum, non autem agnum generare) illiq; effectus fortuitus esse; tamen Deus suo non frustratur, qui & in monstris est gloriosus. Sicut enim Indi ex ipsis etiam inter se se colligatis cucurbitis ratem conficiunt, qua flumina trajiciunt: ita & Deus è vilissimis rebus effectus producit pretiosos. Hinc cum causâ tam impedita, quàm impediante simul concurrens absolutè efficaciterque vult generari monstrum. Neque enim omnium particularium causarum fines absolutè, sed conditionatè duntaxat destinat; si scilicet non aliunde impediatur. Nam si impediatur, ad earum se confluxum, naturas, modumque accommodat; & vnâ cum circumstantijs, immò cum rebus circumstantibus operatur. Hinc sicut ex tauro & vacca taurus; ita ex tauro & Pasiphaë Minotaurus prodit, prima causâ concursum suum æquè ad vnum, atque ad alterum effectum non denegante, vt vniuersalis prouidentia ordinem seruet, qui non solum exigit, vt Deus vim det causæ impeditæ, sed etiam vt virtutem agendi causæ impediæ non subducat, atque adeò, vt, sinat fieri, non quod ab vna sola, sed quod ab vtraque simul potest fieri; vel certè, quod fieri potest

Kranzius  
Vand. lib. 12.  
cap. 33.

II.  
Aristot. 4. de  
Generat.  
animal. c. 3.

Ioan. Ludow.  
Gottfrid. in  
hist. Antipod.  
part. 1. pag. 14.

S. Augustin.  
l. 83. q. 9. q. 24.  
S. Thom. 3.  
cont. gent. c.  
9. & l. p. q.  
103. art. 7. &  
q. 12. art. 4.  
Boët. lib. 4. de  
consolat.  
prof. 6.

S. Aug. lib. 16  
ciuit. c. 8.

Sap. 6. 8.

Iob. 10. 18.

Plin. lib. 35.  
cap. 12.

Sapient. 15. 7.

Rom. 9. 20.

à causa prævalente, vt, post D. Augustinum, D. Thomas per-  
spicue declarauit. Eleganti rem similitudine explicat Boëtius.  
Nam quemadmodum lineæ à centro ductæ omnes circumfe-  
rentiæ ambitu continentur, neque vlla exorbitat, quacumque  
parte tendatur; (si enim in hoc peripheriæ punctum non in-  
cidit, in aliud necessariò incurrit) ita in hoc vniuerso, si quid-  
piam à præscripto sibi ordine particulari discedit, in alium  
ordinem redit vniuersalem. Itaque etsi non intendat monstrum  
natura particularis, intendit tamen natura vniuersalis, inten-  
dit ipse Deus, qui causam impeditam & impediendam, non si-  
ne sapienti consilio, finit concurrere. *Quisquis vspiam nasci-  
tur homo, id est, animal rationale mortale, inquit D. Augustinus,  
quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu co-  
lorem, siue motum, siue sonum. siue quamlibet vim, qualibet parti,  
qualibet qualitate natura, ex illo protoplasto vno originem ducere  
nullus fidelium dubitauerit. Monstrum ergo si ipse fecit, bene  
fecit, quia omnia bene fecit. Summus quippe est artifex, qui  
etiam in ipsis naturæ erroribus non potest errare: &, quæ de-  
formia sunt, nouit conuertere in pulchritudinem vniuersali-  
ne iniuria cuiuslibet. Non enim subtrahet personam cuiusquam  
Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum  
& magnum ipse fecit, & equaliter illi cura est de omnibus.*

III.

Atque hoc solum sufficit, ne monstrosè nati, vel lamen-  
tando, vel queritando, cum Iob, dicant: *Quare de vulua eduxi-  
sti me? qui utinam consumtus essem, ne oculus me videret. Fuissem,  
quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.* Nam quicum-  
que nouit Deum esse suum Plaster, non potest eum erroris ac-  
cusare, infinite sapientem. Olim *plasta laudatissimi fuere Da-  
mophilus & Georgasus, quorum opera nemo audebat carpere;*  
& summi artificis opus aliquis Momus audebit reprehendere?  
*Figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad usus nostras  
vnumquodq; vas, & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in usum  
vasa, & similiter, quæ his sunt contraria: horum autem vaso-  
rum quis sit usus, iudex est figulus.* Ad quem locum alludens ait  
Apostolus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid di-  
cit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet  
pot.*

Illud è

PPPO

potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Assonat & Isaïas, qui & malè contentis istis eiusmodi fulmen intorquet: *Va qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terra: numquid dicit lutum figulo suo: Quid facio, & opus tuum absque manibus est? Va qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?* Hac dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius: *Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego: manus meae tetenderunt celos, & omni militia eorum mandavi. Qui ergo stellas in caelo lucentes, qui caelum ipsum & terram condidit, pro suo arbitratu; & lutum potest fingere hominemque adeò ipsum ad suam voluntatem. Sic optimè factus est, sicut eum Deus fecit.*

*Non bene vasa suo faciunt conuicia fabro.*

Hæc cogitatio S. Gregorium Episcopum Turonensem & placatum tenuit; & apud S. Gregorium Magnum, vtilissimo exemplo defendit. De quo in vita eius, hæc Surius. *Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cum equiuocus eius ille Magnus Gregorius, in sede Apostolica subrogatur, siquidem opinata res est, quod dudum alter alteri peculiari sit amicitia deninctus. Nec immeritò tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tamquam ille datus sit Orienti, Romensis Meridiei, ast hic noster occidenti. Cum igitur sacra Apostolorum limina expetisset, magna sum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confessionem introducens à latere constituit, praestolans, quò assurgeret. Interim autem (ut erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam calitus profuxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidò, ut erat, vultu, ad Papam respiciens: DOMINVS, inquit, FECIT NOS, ET NON IPSI NOS; IDEM IN PARVIS, QVI ET IN MAGNIS. Cumq; id sua cogitationi S. Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam, quam hæctenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cepit; Turonicam ita nobilitauit, ut auram ei cathedram donaret, qua, apud*

Isa. 45. 9.

IV.

Sur. 17. Nouembr. 10. 6.

Q999 2 prafa

Plutarch. De  
intitucend.  
liberis & in  
Agessilato.

præfatam urbem, in posterum servaretur. Aliter sæculum iudicat. Nam, teste Plutarcho, Ephori regi Archidamo multam dixerunt, quòd pusillam statura vxorem ducere sustinisset, addito elogio, *Quòd non reges ipsis, sed regulos dare deliberasset: & βασιλέας, ἀλλὰ βασιλῖδια.* Et certe natus ex eo coniugio Agessilaus pusillus fuit, & specie Græcis aspernanda. Qua de causa moriens interdixit, ne quis effigiem suam fingeret pingere. Habet Mundus aliquam staturæ & maiestatis corporis rationem: sed qui Mundum contemnunt, & irrisores videre didicerunt, etiam in corporis breuitate diuinum quoddam beneficium agnoscunt.

V.

Clypeus est hic & gladius, quo & defendere nos possumus, & hostem offendere, nos ad impatientiam, ob eiusmodi corporum defectus impellentem. Nam & qui credit, se esse opus Dei, sat magnam habet ab opifice nobilitatem, qualiscumque ipse sit; neque Momus ille, tam hominem, quàm opificem hominis reprehendit, qui alterum, *Masculum* aut *Musculum*, *formicam*, aut *Cryllum* appellat. Vltum hoc clypeo Cardinalem Robertum Bellarminum, refert Iacobus Fuligattus his verbis: *Si aly forte corporis exprobrarent vitia, id pacatè admodum ferebat. Ex quo aliquando in Belgio cuiusdam proteruitas ei obiecit, quòd auriculis esset grandiusculis, eoque ab irrisu minime incitatus, nihil aliud, (ut olim S. Gregorius Turonensis) usurpauit, quàm verba illa: IPSE FECIT NOS, NON IPSI NOS.* Iterum cum in scripto quodam legeret, haud se futurum *Pensificem*, quia simplex nimium videretur, ad pagina marginem ascripsit: *FELIX SIMPLICITAS, QUAE ME A TANTO ONERE LIBERAVIT.* Magna itaque solatij causa est quocumque corporis vel animi defectu genitis, meminisse, opus se Dei esse, qui omnia, quæ fecit, vidit esse bona, & omnia bene fecit. Sicut enim figulum non accusat argilla, quæ amphora fieri cum potuisset, vrceus exiuit; ita neque Deum pumilus debet culpare, quamuis Atlas esse potuisset; neque quidquam turbari, si ab alijs non tam ipse, quàm qui fecit ipsum, ridentur. Dicat Creatori suo: *Manus tue fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua, Discam, quid velis,*

Iac. Fuligatt.  
lib. 4. vitæ  
Bellarm. c. 4.

Gen. 1. 10.  
Marc. 7. 32.

Psalm. 118.

*hac*

hac formâ, quam mihi manus tuæ dederunt. Fortasse enim, ut animæ tantò maior esset pulchritudo, corpus meum deforme esse voluisti. Si non dedisti mihi, quod oculos aliorum delectet, dedisti, quod mihi & alijs prosit. *Cuius adiutor es, ait Iob ad Deum, numquid imbecillis? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?*

Iob. 26. 2.

In hanc sententiam, ait nonnemo, apud Euripidem,

VI.

*Δύσμορφος εἶναι μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.*

*Deformis sim potius, quam pulcher & malus.*

Itemq; *Νὼν χεὶρ θεῶν ἀδαι. ἢ δὲν τι δ' εὐμορφίας*

*ἔφελος, ὅταν τις μὴ φέρας καλὰς ἔχει.*

*Animus spectandus est. Nihil pulchritudo*

*Iuuat, cum quis mentem non bonam habet,*

Et sanè quemadmodum in gemmis, aut alijs lapidibus sæpè numero, sub ignobili colore latet pulcherrima natura, sic in corpore inuenusto non rarò insignis animus tegitur. Rursusq; ut in ipso adamante potentissimum est venenum, si conteratur, ita contingit, ut formosissimus homo, mente sit profusus virulenta. Quid conchis asperius, quid verrucosum magis? intus tamen quàm frequenter lucidissimi reperiuntur vniones? Corpus animi domicilium est. Ut ergo sæpe vilem casam subierunt reges, sic, sæpe in exiguo, aut curuo corpore rectæ animæ habitauerunt. Ostendit id in Aesopo natura, cuius animus cùm excellens esset, vultus fuit barbarus. Ostendit in Galba oratore eloquentiâ claro, sed quem gibbus ingens premebat, non secus ac si burdonem ageret, aut asinum clitellarium. In eum igitur malignè lusit M. Lælius, cùm diceret, *ingenium Galba male habitare.* Nimirum, ut Aristoteles sapienter pronunciauit: *Deformis naturâ nemo reprehendit: sed eos, qui ob orium vel negligentiam tales euaserunt.*

Aristot. lib. 3.  
Ethic. c. 5.

Quòd si illos reprehendimus, quos natura deformes fecit, illum reprehendimus, qui dixit: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Quid enim de Christo iudicassent illi, qui etsi alioqui esset *speciosus præ filijs hominum,* tamen eum inter Iudæorum manus dirissima patientem considerantes dixerunt: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros*

VII.

Ioan. 7. 24.

Psal. 44. 3.

Isa. 53. 4.

2999 3

stros



1. Cor. 10. 10.

Ioseph. l. 18.  
Antiq. c. vlt.  
Eustach. lib. 1  
Ethic. c. 6.Niceph. l. 11.  
Eccl. hist. c. 33  
VIII.

stros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussam à Deo & humiliatum? Quid de Zachæo iudicandum fuisse, qui *statura presilius erat*? Quid de Paulo, cuius *presentia corporis infirma, & sermo contemtibilis erat*? Quem & *statura improcerum, & capite caluastum nonnulli descriperunt*. Fuit sanè Africanus Scipio, fuit Iulianus Cæsar corpore celsus, sed numquid illis cessit vel belli laude Alexander Macedo, vel imperij dignitate Augustus, qui ambo breues fuerunt? Pulchrius fuit Alexandrum gestis, quàm membris Magnum extitisse. Ad eundem modum, teste Iosepho, Asinaus Iudæorum dux, *statura parua, animo excelso fuit*. Et tamen ita cæcimus ad virtutis æstimationem, vt queramur, naturam nobiscum illiberaliter egisse, si non omnia nobis pulchra dedit, quæ in alijs miramur? immò & alios contemnimus, quos Theristes esse videmus? *Deformis specie*, ait Eustachius, *nobis inanimatus & infaustus occurrens, minime bonus esse creditur: cum plerique exteriorem formam corporis occulti animi signum esse indicant*. Quantum hoc iudicium erret, quamque Natura auctori vehementer displiceat, Nicephorus hac historia docet.

*Ea tempestate, quæd Sauromata Romanam ditionem, tamq. Imperij partem, qua ad Occidentem vergit, excursionibus vexarent, Valentinianus cum ingenti belli apparatu aduersus eos esse profectus. Atque illi tantam Imperatoris expeditionem formidantes, legatis missis pacem ab eo petierunt. Quos ubi deformes esse vidisset, an uniuersi tales essent Sauromata, interrogauit. Et quum illi dixerent, optimos quosq. qui & genere, & forma præstarent, ab eis legatos solere mitti: ira atq. furore multo correptus grania se pati dixit, & maxime infortunatum esse, quòd ad tempora sua peruenisset Romanorum imperium, si Sauromata, gens tam barbara & in-formis, in qua reliquos isti excelleret, sedibus suis contenti esse nolent: sed confidentia tanta impulsus, ditionem suam percurrerent, & bellum titillatione quadam illi Romanis inferrent. Et quum ita indignaretur, & magno opere vociferaretur, nimia vocis intentione conuulsa in eo esse interiora viscera, venamq. & arteriam quamdam ruptam dicunt, unde sanguine plurimo profuso, vita eum reliquerit, in castello quodam Germanie, cui Brigitis nomen fuit, decimo septimo mensis*

mo mensis Nouembris die, quum quinquaginta quinque propè annos natus esset, & tredecim annis imperium bene admodum & praeclarè administrasset.

Mirabile est, Imperatorem, & Imperatorem, qui imperium tam diu bene admodum, & praeclarè administravit, tam repentino interitu perijsse; & perijsse, ob dictum, quod multi iocum duntaxat arbitrantur. Sed displicet iure summo architecto, si sua opera carpantur. Quis artifex pati potest, ut illius labores reprehendantur? Apelles diutiùs sub tabula latere non sustinuit, quando animaduertit, sutores ultra crepidam velle esse captorem. Cur ille immensae sapientiae artifex ferat, creaturas suas rapi ad censuram? Et tamen eiusmodi Theones quotidie reperiuntur, qui non solum belluas monstruosas clamant in mundo esse non oportere, quas merito Deus ad eos terrendos, vel puniendos immittit; neque humana duntaxat monstra detestantur; sed ferè omnia in alijs naturae vitia venenatis dentibus mordent, ac solatij loco, viceq; olei acetum aspergunt. Cur loripedem vocas, cui natura non dedit vel duos, vel rectos pedes? cur Vulcanum appellas, quem vides claudicantem? Quare oculis malè affectum Cæcilius nominas? aut visu carentem talpam? Nonnè expedit illi, ut *Matth. 5. 29.* pereat unum membrum illius, quam totum eius corpus eat in gehennam? Tunè illum truncum audes vocare, qui brachium amisit in praelio pro patria pugnans? & pro te ipso quoque, quem aiunt nec gladium quidem nudum posse intueri? Non foedant militem vulnera, sed exornant. In acie stetitisse puta, quem vides esse sauciatum. Sed mater, inquires, illum talem genuit, non bellum fecit? Tanto maior est iniuria, si non hominem sed naturam ipsam calumniaris: quæ si illi oculos dedisset, videret; curreret, si ab illa crura arcuata non accepisset. Potuisses & tu talis nasci. Non meruit à te conuicijs proscindi cõmunis illa mater, si erga te se exhibuit liberaliorem. Quod multò magis de Deo naturæ authore etiam dici potest, cui & ingratus es, & blasphemus. *S. Chrysostr.* *hom. 8. in ep. ad Philip.* *Gravis enim, gravis, inquam, est murmurator, ait S. Chrysostr. & vicinus blasphemus; alioqui cuius gratia illi tantum supplicium dederunt? ingratus* *titudo*

1X4

titudo est res ista. *Qui murmurat, ingratus est Deo. Qui autem Deo ingratus est, blasphemus quoque.* Quòd si is murmurare nõ debet, qui defectu ipse laborat; quanto plus peccabit is, qui defectum talem alteri exprobrat? O quàm pronæ sunt hominum linguæ ad maledicendum, quæ vbi maxima est materia laudandi Creatorem, ibi maximè eum contemnunt! Iuniores pueri, seniores bis pueri, illi imprudentes, isti deliri appellantur, quasi natura neque infantes, neque senes esse permittere debuisset? Quid dicam de cõuitijs nationum? non iam Sauromatas, non Scythas, non Tartaros de vultibus barbaris, de fronte verrucosa, de simis naribus vituperamus duntaxat, aut Mauros de nigra cute; sed vicinos quoque, cum quibus commercia tractamus, & fœderibus iunctos, quibor non nominibus & agnominibus contemnimus? alijs ranas, alijs vaccas, alijs asinos, alijs porcos, alijs capros, alijs caneros, alijs alia obijcimus. Quia & regionum vitia in culpam trahuntur; alij nimis esse graues, alij nimis leues; alij iracundi, alij libidinosi, alij stupidi, alij blâsi; alij voce pingui, alij exsucco; alij strumosi; alij ex Arcadia, alij ex Bœotia, alij ex Thessalia nati dicuntur, cum nulli sua patria probro sit. *Ex omni terra par est ad calum via.* Fortunæ est, in hoc vel illo loco nasci; naturæ nasci cum aliquo corporis vitio, quod quicumque alteri opprobrat, ostendit se mentis vitio laborare. Enimuerò nec stupiditas mentis cuiquam est obijcienda, quæ admodum Scipio Æmilianus fecit, qui apud Numantiam iratus C. Metello dixit: *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse pariturã.* Facetiæ sanè numquam sunt magis iniusta, quàm quæ tangunt innocentes. Innocentes autem sunt, quibus sine sua culpa aliquid vel in corpore, vel in ingenio negauit natura. Quare nec Diogenes satis philosophicè caluo cuidam contumelijs eum afficienti respondit: *Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos laudo, quòd malam effugerint caluam.* Quis non ridiculam putaret talem irrisionem? Sed vide, quanti eam fecerit, Deus: cum Elisæus in Bethel ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: *Ascende calue, ascende calue.* *Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis*

**Eraf. lib. 6.**  
**Apoph.**

**Maxim. ferm.**  
**de vituper.**

**4. Reg. 2. 23.**

in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Quòd si caluitium vitio vertere adeò est graue, quantum malum erit, irridere alterius monstrositatem miseratione longè digniorem? à qua explodenda satis nos deberet terrere, quòd impium sit, Dei opus contemnere.

## CAPVT L.

Vniuersum Monstris ònari, in Pygmaeis & Gigantibus ac enormiter fortibus ostenditur.

**N**E quis autem existimet, Deo caussas non esse, tales vel defectus, vel effectus naturæ Mundo inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Si quidem contraria se mutuò cõmendant, faciuntq; gratiora. Quemadmodù ergo gratiam lucis extollit obscuritas noctis; & morbi ostendunt beneficium sanitatis; vmbraeq; & atrii colores picturæ augent amænitàtem; dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs elucescunt; ita & ea, quæ feèda sunt, dum res pulchras cõmendant, faciunt ad decorem atque elegantiam vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantùm Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticos in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ tæniâ collum inumbrant. Ad eundem modum etiam Mundus iste visibilis nõ formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatē, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulchriora sunt prata, quò pictiora, ipsa florum herbularumq; diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoque habet lepõrem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmaeus, qui

Rrrr

pede

I.

S. Augustin.  
l. 16. de ciuit.  
c. 8. Dionys.  
Carth. lib. de  
venustate  
Mundi. c. 9.

II.